prosperitate superari velit, cunctaq ad prisca reducat secula. Quod
alterum dum Ego præprimis hodie observo, non nisi ad vota preces con-
fugio: Vos modò, qui confluxistis, Viri Nobilissimi, Amplissimi, Con-
sultissimi, nec non Reverendi, Excellentissimi, Clarissimi, Experientissimi,
Spectatissimi, hoc unum agite, ut mecum optima quæq vaticinemini votis,
vel precemini potius, quo anni hujus exordiemini initium. Sed ubi incipi-
am? ubi desinam? Meritò incipio à Patre patriæ indulgentissimo: et
primum quidem omnium Serenissimo potentissimoq Principi ac Dn. Dno
Joh. GEORGIO IIItio, Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium S. R. I.
prætorio præfecto et Octoviro augustissimo, Landgravio Thuringi-
æ, Marchioni Misniæ, nec non utriusq Lusatiæ, Burggravio Magde-
burgensi, Comiti Marcæ et Ravensbergæ, Dynastæ Ravensteinij, Prin-
cipi ac Domino Clementissimo, manibus expansis et aperto capite
Cœlum suspiciens humillimè precor: Et sanè vita longa, quam
Principi nostro opto, idq Veterum Romanorum more facio, qui par-
ticulam vitæ demptam sibi solemni formula donabant Cæsaribus

—— —— Felix, qui per tot secula nomen
Distulit atq suos iâ dextra computat annos,
Quiq novum toties mustum bibit,

exclamat Juvenalis; Equidem Felicitatem ipsam alius alio modo sponte
ingenio quisq terminabat, ut difficilis sit judicij, felicitatis ne nomen
longa mereatur vita. Te nunc adeo submissa mente, Amplissime
Patrum Ordo, devotisq suspirijs Deum rogo, ut salvum hoc anno et florentem
tu servet, ut adsit ipse tuis consilijs, eaq ad salutem inclutæ Reipubl. hujus clemen-
ter dirigat: Rogo velatis manibus, ut pacem in hac nostri Hexapolitani et
Lusatici urbe custodiat, tranquillitatem confirmet, concordiam perpetuet, om-
nem abigens discordiam, quâ quidem maxima dilabuntur, ut contra res,
juxta Sallustij effatum, parvæ concordia crescunt. Pergo Reverendo
Ecclesiæ Ministerio animitus precor, ut omnia beata illi obtingant,
ut adsit nova Cœli gratia, Spiritus S. assistentia, eaq quæ in Ministro
Ecclesiæ requiruntur, divini eloquij dona. State Viri nec non Reverend. in
specula vestra incolumes et strenuè rem vestram hoc anno agite, vocem instar
buccinæ aut tubæ Cœlestis elaturi. Quid vobis, Viri de Schola nostra
meritissimi precer? precor, ut Deus opt. max. porro largissimam bene-
dictionem Herculeis vestris laboribus affundat, ipseq maximo cum e-
molumento Studiosæ juventutis, reiq literariæ incremento, sub vestra dexterrima
χειραγωγία Misniacum hoc Gymnasium magis magisq inclarescere, crescere,
efflorescere jubeat. Vobis Literatis deniq Civibus universis ac singu-
lis ut et illiteratis voveo, ut misericordissimus Deus suam clementiam in vobis con-
tinuet, misericordiam perpetuet, gratiam perennet, provideatq ne pax et justitia
sese basiare, mutuisq amplexibus osculari cessent: Vestris item precor opt. max.
Deus Laribus clementissimè benedicat, actiones dirigat, honestisq negotiationibus
quibuslibet exoptatissimum largiatur successum! Desino precari, quoniam me
munus meum aliò nunc avocat. Etenim quum in Palæstram hanc Oratoriam pos-
me descenderet felicissimi quidam temporum Strenæ, Actum Emblematicum Pathologicum
ordiri pariter et continuaturi, donec strena una cum commissa eundem claudant
Actum Epilogus, quo, nomine totius cœtus hujus Scholast. cuilibet inclutæ hujus urbis Statui
suo Emblemate certo cum Lemmate, sua dedicabitur strena, officiosissimè vos rogatos volo
Auditores devenerandi, ut attentè horaq cum venia Orator. horum, quos à latere mihi
omnes ordine stare videtis, verba audire haut dedignemini. Nostis, scio, ideo Veteres in
dedicandis Fabris Mercurium adjunxisse Gratijs, ut significarent, Orationem nec non flagitare
benignas et amicas aures. Agite itaq opt. Adolescentes, prodite et justo ordine porrigite
vestrûm quisq suam strenam, quo impleant oes, quod optent universi: Ne v. dubitetis, volo
jubeoq, sic fore felicem rei hujus eventum, dummodo verbis respondeat effectus.

Christianus Stahlius
Gabr.-Lusat.